



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm
praecepta ad artem concionandi descendam accomodata, sed etiam Ideas
& Conceptus praticos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicationis,
Patrocinij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Reverendissimo, Nobili, Et Clarissimo Domino Francisco Ziegler, SS.
Canonum Licentiato, Reverendissimi & Celsissimi Principis, Episcopi
Augustani in Spiritualibus Consillario, & Vicariatûs Generalis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](#)

**REVERENDISSIMO,
NOBILI, ET CLARISSIMO
DOMINO**

FRANCISCO ZIEGLER,

**SS. Canonum Licentiato, Reverendissimi & Celsissimi Principis, Episcopi Augusta-
ni in Spiritualibus Consiliario, & Vicariatū Gene-
ralis Commissario, Pœnitentiario, & Con-
sistorij Assessori.**

N E C N O N

**Insignium Collegiatarum S. Mauritiij Augu-
stæ, & S. Cyriaci in Wilsensteig respectivè
Canonico & Parochio.**

**DOMINO MEO OBSERVANDIS.
SIMO ET GRATIOSO.**



Uod olim Divus Petrus Aposto-
lus Luc. 5. fecisse scribitur, dum
post captam piscium multitudi-
nem copiosam annuit Sociis, ut
venirent, & adjuvarent illum, hoc
ipsum etiam Tu, REVERENDISSI-
ME, NOBILIS & CLARISSIME DOMINE, erga me
fecisse quodam modo videris. Es nimirum & Tu
vero Apostolico Spiritu prædictus, quia dotibus ad
talem Spiritum requisitis apprimè instructus; si e-

* 2

nim

E P I S T O L A

nim geminas plerumque ad illum dotes exigunt pe-
riti rerum Aëstimatores, Scientiam videlicet, & Ze-
lum seu Charitatem ardenter, per linguas igneas,
quæ super Apostolos in Festo Pentecostes descende-
rant, & non solum luce sua alios illuminaverant, sed
etiam calore suo igneo accenderant, indicatas, quis
Apostolico te Spiritu plenum negare ausit, si sive
scientiam tuam multiplicem, & copiosam assiduo
studio, praxique, & experientiâ continuâ compa-
ratam, sive charitatem variis, iisque clarissimis do-
cumentis demonstratam accuratius perpendat? Et
scientiam quidem quod attinet, non exiguam pro-
fectò à te sed eximiam prorsus fuisse collectam, te-
stabitur in primis Academia Dilingana, quæ propter
eandem Academicos tibi honores in pleno doctissi-
morum virorum consensu, unanimo voto & con-
senstu, juréque meritissimo decretiv, contulitque:
testabitur deinde REVERENDISSIMUS & CELSSI-
MUS PRINCEPS ac EPISCOPUS Augustanus, qui Re-
verendissimo Vicario Generali Adjutorem & Com-
missarium, ad quem velut Oraculum universi Sa-
cerdotes Diœcesani causas suas controversas, aut
dubias referrent, quærens, non alium profectò te
aptiorem judicavit. Testabuntur denique omnes
ij, qui sive de Philosophicis disciplinis differentem;
sive de Theologicis subtilitatibus disputantem; sive
propositas causas ad libram Juris Canonici exami-
nantem, decidentemque audiverunt. Sed nimi-
rum parùm aëstimâsses hanc quantumcunque scien-
tiā, nisi alteram Spiritus Apostolici dotem, Zelum
scilicet & charitatem junxisses, non ignarus videli-
cet, quid S. Apostolus 1. Cor. 13. sapienter pronun-
ciaverit, dicens: *Si habuero Prophetiam, & noverim*
mysteria

D E D I C A T O R I A.

mysteria omnia , & omnem scientiam &c. charitatem au-
tem non habuero , nihil sum. Atque adeò vanum esse ,
teste D. Bernardo , lucere tantum ; tantum ardere , pa-
ram : ardere & lucere , perfectum. Hinc geminam hanc
dotem , velut duo talenta à DEO tibi concredita , ut
bene collocares , aliaque duo salutem scilicet pro-
priam & alienam , lucraveris , tam sollicitè studui-
sti , uti omnes , quos curæ tuæ cominiſſos unquam
habuisti , grato , benevoloque animo testabuntur.
Et si verò ad omnes , ut dixi , Subditos tuos amplissi-
mè tuus hic Zelus se extenderit , negari tamen non
potest , quod tunc maximè eluxerit , quando super
altiori Candelabro positus ad Sacerdotum præcipue
Regimen es promotus ; tunc enim verò amplissi-
mum idem Zelus tuus campum nactus , quà crebris
Visitationibus , quà privatis adhortationibus , quà
paternis correctionibus in id unum incumbebat , ut
dicere cum S. Paulo ad Sacerdotes tibi subjectos
posset : *Filioli mei , quos iterum parturio , donec forme-
tur Christus in vobis.* Et hinc videlicet factum est ,
ut , quoniam ob publica , eaque graviora nego-
tia imparem te esse advertebas , junioribus ma-
ximè Sacerdotibus privatâ Instruktione pro voto
efformandis , Sociis annueres , virōsque tales opta-
res , qui vicariam tibi in hoc tam salubri negotio o-
peram præstarent , & si quidem ob occasionis defe-
ctum oretenus efformare tales Sacerdotes non pos-
sent , impressis certè Instruktionibus eosdem in fun-
ctionibus suis Ecclesiasticis etudire , expoliréque
conarentur. Et ecce talem in me quoque invenisti.
Eum namque in finem parvos ab initio libellos pu-
blico typo committere ausus , cùm conatum meum
Sacerdotibus non displicere advertisse , ad plura ,

*

3

eaque

E P I S T O L A

eaque paulò auctiora opuscula animum adjeci, & primam de SS. Missæ Sacrificio ritè offerendo Instruktionem publicam, in quam quidquid ad hanc ob rubricarum multitudinem, cantusque varietatem, non parùm sanè difficultem praxin facilitandam conducere posse existimabam, concessi. Paulò pòst verò etiam secundam de Horis Canonis juxta Rubricas Breviarij Romani recitandis Instruktionem composui, brevibusque easdem Rubricas notis illustravi, & ut nihil ad perfectam hujus materiae notitiam deesset, ipsa etiam Martyrologij nonina accentibus, ex quibus modus ritè eadem pronuncandi cognosceretur, notata, tabulisque practicis, quæ facilem recitandi Breviarij praxin efficerent, subjunxi. Has geminas Instruktiones non multò pòst tertia subsecuta est, quæ de Conversatione Apostolica à Curatoribus Animarum piè & fructuose instituenda tractabat, atque adeò post solida ac generalia eum in finem præcepta tradita, faciles, practicisque modos juvandi & consolandi diversorum Statuum Personas afflitas, præcipue ægras & captivas, complectebatur.

Quia verò non parùm etiam gratum futurum credebatur Animarum Pastoribus, si, quidquid à Pastoribus talibus aut sciendum præcipue, aut observandum foret, in uno libro colligerem, ideo quartam quoque Instruktionem de Pastorum officio vulgavi, quæ non solum doctrinas & industrias ad Pastorale munus piè, fructuose, & securè obeundum pertinentes, sed etiam Casus frequentius circa idem officium occurrentes ex communiore Doctorum sensu decisos continebat. Verùm neque hīc quiescendum adhuc existimabam; sed, quoniam Con-

D E D I C A T O R I A.

Confessionum audiendarum munus, sicut utilitate
præcipuum, ita in praxi nonnullis noi immerito
difficillimum apparere advertebam, etiam hanc dif-
ficultatem emollire studui, atque adeò brevem qui-
dem, sed ad praxin, ut spero, non parùm accom-
modatam Instrukcionem de Confessionibus ritè ac
fructuosè audiendis obtuli, in eaque non doctrinas
duntaxat generales ad Munnus Confessarij pertinen-
tes explicavi, sed etiam, quid circa varios Pœnitentia-
tum Status specialiter observare debeat, indicavi.
Post quas quidem Instruktiones typo commissas,
cùm, quæ alia adhuc desiderari à Sacerdotibus pos-
set, accuratiùs mecum perpendere, adverti, non
modicum, nec ingratum ijs subsidium me præstitu-
rum, si, quoniam ex una parte omnibus Sacerdoti-
bus aliqua saltem, licet non perfectissima, quintu-
plicis Theologiae, Positivæ scilicet, Asceticæ, Pole-
micæ, Scholasticæ, & Moralis notitia necessaria est;
ex altera verò parte notum atque compertum pari-
ter fuerat, non omnes animum, aut vires, occasio-
némque habere ad tales scientias perfectè addiscen-
das, rudem saltem doctrinarum ad eas pertinentium
notitiam suggestere, id quod præstigi sextam In-
strukcionem publicando *Institutiones memoratae quin-
tuplicis Theologiae complectentem*; quæ quidem In-
strukcio ab initio quidusdam Sacerdotibus, ijs præ-
cipue, qui Theologiam duntaxat moralem audive-
runt, supervacanea, minùsque necessaria videbitur,
sed graviter sanè decipiuntur; quid enim magis de-
bet Sacerdotem divini Verbi Interpretem, quam ut
sufficientem S. Scripturæ notitiam possideat, atque
adeò Regulas ad ejusdem intelligentiam obtinen-
dam necessarias nōrit? quid æquius est, quam ut

E P I S T O L A

Sacerdos in altissimo , sanctissimōque Statu constitutus , majori quoque , quām sēculares soleant , perfectioni studeat , atque adeō scientiam Asceticam , quæ modum & præcepta ad tales perfectiōnem consequendam necessaria suggestit , addiscere conetur ? quid magis necessarium , quām ut doctrinas à Theologis Scholasticis circa DEUM Trinum & Unum , Incarnationem Christi , Angelos , Justificationem Hominum , Gratiam divinam , & similes materias proponi solitas sine errore alijs explicare possit , atque adeō ruditer saltem cognoscat , simūlque Hæreses contrarias , & modum facilem , solidūmque ad eas refutandas imbibat ? quid demunt proficuum magis censeri potest , quām ut , quoniam immensum est doctrinarum ad Theologiam moralem pertinentium pelagus , earum memoriam renovare & conservare per generalia principia , ad quæ particulares doctrinæ revocantur , studeat ? cùm ergo hæc omnia in sexta hac Instruktione doceantur , & præterea etiam decreta Concilij Tridentini circa morum reformationem , quorum notitia utique etiam Sacerdoti vel maxime necessaria est , in aptum , & ad memoriam juvandam per quam accommodatum ordinem redacta ibidem reperiantur , facile apparet , etiam hanc Instruktionem Sacerdotibus junioribus non parùm utilem esse , atque adeō accurata , crebraque lectio familiarem ipsis fieri debere . Et hæc itaque Instruktione absolutâ , typōque datâ , occubebat memoriarum , quām frequenter à Sacerdotibus variis stimulatus essem , ut ea , quæ circa Conciones apud rudem & simplicem Populum habendas olim collegeram , pariter publici juris ficerem ;

verūm

D E D I C A T O R I A.

verūm ab hoc conatu meritò absterrēbat , quod
neque Prophetam me , Concionatōremve , nec
Filiū Prophetarum , id est , in ejusmodi concio-
nibus habendis admodum exercitatum esse nōs-
sem . Vicit tamē & hunc timorem , denique
aliorum stimulatio , atque ut non solūm præce-
pta generalia ad artem concionandi descendā ab
Exercitatissimis Magistris tradita , sed practicas
etiam Ideas pro concionibus in varijs Festis & oc-
casionibus , habendis accommodatas per septimam
Instructionem proponerem , effecit . Neque ta-
men adhuc manus de tabula removenda videba-
tur , sed quoniam crebrā experientiā didiceram ,
Sacerdotes , quando sive ad primum Sacrificium
offerendum per spiritualia S. Patris Exercitia se
præparare ; sive per eadem deperditas vites Spir-
itus renovare conantur , ideo præcipue optatum ex
ijs fructum non semper referre , quod Meditatio-
nes , aliisque exercitia eo in secessu suscipi solita
ad suum Statum specialiter applicata non habe-
ant ; sed & dignam de Vocatione sua estimationem
non semper haurire , nec industrias & exempla
bonorum Sacerdotum , aut infelices exitus ma-
lorum ob oculos sibi præponere , ideo ut hāc etiam
in parte succurretem , octavam in primis Instru-
ctionem Theologiæ Mysticæ , id est , modum Exer-
citia spiritualia faciendi facilem , practicūmque ,
Sacerdotibus præcipue accommodatum composui ;
deinde verò nonam etiam Instructionem de Na-
tura & excellentia Sacerdotij , variisque industriis
& exemplis , quæ Zelosissimi quique Pastores re-
liqueunt , déque Sacerdotum reproborum pessi-
mo fine adjunxi , ut hinc quidem per bonorum Sa-
cerdo-

E P I S T O L A

cerdotum exempla & præmia ad imitationem accenderentur; inde vero per malorum Sacerdotum pessimos fructus à peccatis eorundem Statum decentibus efficaciter absterrentur. Cùm vero sic quidem plenè instructus Tyro Sacerdos videretur, nisi practicas, sibique propriè accommodatas Juris Canonici Institutiones offerrem, etiam hic desiderari operam meam non sum passus, sed manus arduo quantumvis operi admovens, Institutiones Juris Canonici non quidem universales, sed tales, quæ potiores materias respectu talium Personarum præcipuè scitu necessarias completerentur, atque per formatos & decisos circa eandem materiam casus illustrarent, aut confirmarent, elaborare cœpi. Quibus omnibus tandem Instructionibus pro complemento Bibliothecam manualem majori volumine constantem addidi; cùm enim ob librorum pro Concionibus formandis idoneorum inopiam, grandem sæpe juniores Sacerdotes in ijsdem faciendis difficultatem experiri advertissem, pergratam me ijsdem operam facturum existimavi, si, quæ in aliis libris operosè colligere deberent, in unum licet improbo labore colligerem, atque adeò de omnibus Virtutibus & vitiis usitatoribus, de Sacramentis item, & novissimis, aliisque materiis pro scopo Concionum assimi solitis, in primis earundem naturam, divisionem, & actus; deinde sententias selectas & breves S. Scripturæ, & SS. Patrum; historias item & motiva, mediæque, ac similitudines, conceptusque prædicabiles, nec non & miscellanea, & Authores, apud quos plura de tali materia reperiri possunt, proponerem, sicutque

D E D I C A T O R I A.

que integrum quasi Bibliothecam , quam , quia ad manus haberi facile potest , manualem vocare placuit, offerrem. Ex quibus omnibus facilè nunc, REVERENDISSIME, NOBILIS & CLARISSIME DOMINE , colliges, annuenti Tibi , & ad multitudinem piscium seu animarum copiosam capiendam invitanti (quidni enim plures animas se lucratum speret , qui utiles & bene exercitatos Piscatores efficere conatus est ?) promptè cooperatum esse , & , si conatus saltem & intentio spectetur , nulli ad finem obtainendum operæ ac labori percisse. Nihil ergo supereſt , quām ut studium hoc meum , & septimum præcipuè hunc partum , eā , quā aliorum Amicorum obsequia accepere confuevisti , benevolentiā , facilitatēque acceptes , & , quō fructus ex ijs hauiendus amplius se dilatet , subjectis Tibi Sacerdotibus , eā , quā apud ipſos , polles , autoritate ac efficaciā commendes. Ego interea , ut DEUS ter Opt. Max. toti Diœcesi diu te salvum , incolumēque conservet , ex animo precor , voveōque. Friburgi 21. Novemb. 1679.

Reverendissimæ , Nobilis
& Clarissimæ Dom. Tuæ

Infimus Servus

Tobias Lohner,
SOC. JESU.